

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

In festo circumcisionis Christi

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

in peregrinatione finiat vitam: ne sis curiosus cur id fiat, quia id nõ perscrutaberis. Deus cuique terminum suum constituit, qui præteriri non potest, Job, 14. v. 15. Tempora hominis in manibus Dei sunt, Psal. 31. v. 16.

Vir Ægyptius aliquando aliquid obvelatum per plateam ferebat. Huic obviabat vir curiosus, qui quærebat ex eo, Quid absconditum ferret? cui alter respondit: Ideo obvelatum est, ut tu nescias.

Idem responsum illis demus, qui myste-

ria divina ratione rimari non verentur: ideo enim mysterium est, quia per vestigari non licet. Contentus esto in sanctissimã Altissimi voluntate, cum Davide dicens: Convertere anima in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi, Psal. 116. v. 7. & cum Eli Sacerdote: Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat, 1. Sam. 3. v. 18. & cum Job: Sit nomen Domini benedictum, Job, 1. v. 26.

Laus & gloria sit Domino Deo nostro, per Jesum Christum, Amen.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS CHRISTI.

Evangelium Luc. 2. v. 21.

EXORDIUM.

CUm Judæi ex extremo periculo, quod Haman ipsis concinnaverat, liberati essent, diem decimum quartum mensis Adar constituerunt esse solennem, ut in eo, omni tempore deinceps vacarent epulis, gaudio atque conviviiis, mittentes sibi mutuo donaria, partes epularum atque ciborum, *Jesth. 9. v. 17. 22.*

Hinc procul dubio consuetudo invaluit inter Christianos, ut hodierno die, non modò felicem annum sibi invicem precentur, sed & strenam mittant, in testimonium lætitiæ spiritualis, quæ ratione miraculosæ redemptionis, per Jesulum recens natum factæ, in cordibus eorum nata, de qua Angelus pastoribus Bethlehemiticis ita prædicat: Nolite timere: ecce enim

evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodiè Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David, *Luc. 2. v. 10, 11.* Ubi enim venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, *Galat. 4. v. 45.*

Propterea nos Christiani hodierno die novum annum auspicamur, quo die Christus legem subiens, legem pro nobis implere, & sanguinem immaculatum pro nobis fundere, salutemq; nostram operari cepit, ut Bernhardus loquitur.

Ut ita strenam inter Christianos Symbolum memoriale sit, cœlestis Jubilæi, quod Pater cœlestis in Filio suo, Jesulo recens nato, nobis donavit. Quasi alloquatur Christianus alterum: Ecce, mi fili, mi amice

amicæ & vicine, apprecor & dono tibi recemtem annum, quo ipso tibi contestor, me & te in numero eorum esse, quibus Deus Filium suum, Jesulum recens natum strenæ loco donavit, & nos ex annò veteri Adami, in novum Jubilæum transtulit, unde spero tecum me, & cum omnibus fidelibus æternam amicitiam in Regno cælesti culturum. Quod votum, quæ consuetudo verè Christiana est, ubi amplissimum Dei beneficium nobis præstitum, debitâ gratitudine agnosceitur, & prædicatur.

Quia verò maxima pars in distributione strenarum, spirituale hoc gaudium ferè penitus oblivioni tradit, & à plurimis externa tantum donaria respiciuntur, verbi Ministros decebit, idem ex verbo Dei auditoribus suis sedulò inculcare.

Nos methodo nostræ inservientes, videbimus

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegetis.

Circumcisio est Sacramentum V. T. quo Deus Abrahamum & posteros ejus, ab aliis gentibus separare voluit, tanquam peculium suum, cum adjuncta comminatione, nisi masculi præputii caro circumcisa fuerit, delendam animam illam de populo suo, quia pactum Dei irritum fecerit, Gen. 17. v. 15. 26.

Quamvis autem Jesulus recens natus Sanctus Sanctorum, Dan. 9. v. 24. adeoque huic legi subjectus non erat, quæ tan-

tum hominibus peccato infectis data fuerat, attamen & ipse instat vulgaris alterius pueri circumcidi voluit, ut prælecta Pericope luculenter probat.

Querela respicit

I. Acerbum dolorem, quem tener puerulus Jesus in Circumcisione suâ subiit. Ibi enim puerulis Judæorum acuto cultro præputium præcidebatur, quod sine sanguine & dolore non factum, ut id non modò ratio sana docet, sed & exemplum Civium Sichemitarum probat, postquam enim ad circumcissionem suscipiendam persuasi erant, die tertio, quando gravissimus vulnerum dolor erat, arreptis, duo filii Jacob Simeon & Levi, gladiis, ingressi sunt urbem confidenter, & omnes masculos interfecerunt, Gen. 34. v. 27. Hinc constat, quod si viris à circumcissione tantus dolor obortus, ut præ dolore defendere se minus potuerint: quantum dolorem teneris infantibus illa attulerit, si die octavo præcise circumcisi fuerint. Hæc ex causa Zipora diu tergiversata, incircumcisum filiolum suum relinquebat: & ubi tandem necessitate adigebatur, quia Deus Mosen perempturus erat, tamen vel invita illud fecit, tetigitque pedes mariti sui, h. e. ut Biblia Vinariensia id explicant: præputium ad pedes ejus abjeiens, dixit: Sponsus sanguinum tu mihi es, Exod. 4. v. 25.

Ejusmodi dolorem & cruciatum, optimus Jesulus in corpuseculo suo sanctissimo, octavo ætatis die, ut alius in peccatis conceptus puerulus, experiri voluit, ubi sine dubio amarè quoque flevit, & lacrymas profudit, sicut ipse dolores nostros portavit, Esa. 53. v. 14. nobisque

b b b b

fra-

fratribus suis per omnia assimilatus est, ex-
cepto peccato, Hebr. 2. v. 12.

Sed non immerito hic recordamur
magnæ illius miseriæ, cui infantes pro-
positi sunt, simulac in lucem eduntur, pri-
mam vocem emittunt plorantes, Sap. 7.
v. 4. quâ mundum salutant, quæ nihil aliud
est, nisi vallis lacrymarum, Psal. 80. v. 6.
Hinc Augustinus: Quod infantia non à
risu, sed à fletu orditur hanc lucem, quid
malorum ingressa sit, nesciens quodam-
modò prophetat. Et hoc non aliunde,
quàm à peccato est, de quo miseri infan-
tuli conqueruntur, juxta notum versu-
culum:

In geminant E & A, quotquot nascun-
tur ab EVA.

Sicut enim per unum hominem mors in-
travit in mundum, sic & per peccatum
mors, & ita in omnes homines mors per-
transiit, quandoquidem omnes peccave-
runt, Rom. 5. v. 12.

Quot infirmitatibus subjecti sunt infan-
tuli? Multi expirant in utero materno,
antequam in lucem eduntur, in sepulchro
enim absconduntur & illi, qui concepti
non viderunt lucem, Job. 3. v. 16. Quod si
verò dolores partûs superant & gratia Dei
perrumpunt, miseriarum finis non est, ut
semper unius exitus, principium sit alterius.
Modò tussâ laborant, modò epilepsiâ in-
festantur, modo variolis decumbunt,
modò dentium dolore cruciantur, quin
multi tantâ difficultate nascuntur, ut vita
propterea priventur. Sive accidit, ut po-
pule lædantur, sicut Mephiboseth, quem
nutrix casu perdidit, ut claudus effectus
fuerit, 2. Sam. 4. v. 4. sive febri ardent, ut
Reguli Elius, Joh. 4. v. 35. sive caput do-

lent, ut filiis Sunamitidis, 2. Reg. 4. v. 19.
sive prorsus degenerant, uti Absolon, 2.
Sam. 15. v. 1. seqq.

Hoc magnum metotem affert paren-
tibus, exinnata enim diligunt libe-
ros, & si huic vel illo malum oboritur,
mallent id in proprio corpore pro liberis
sustinere, ut in Davide perspicimus, qui
nuncio audito, filium Absolonem, qui ta-
men vitæ & coronæ insidias struxerat, in
quercu pendulum factum, & tribus hastis
percussum, lamentabili voce clamabat:
Fili mi Absolom, Absolom fili mi: quis
mihi tribuat, ut ego moriar pro te, Abso-
lom fili mi, fili mi Absolom! 2. Sam. 18.
v. 73. Ex hac causa quandoque Deus
liberos morbis percudit, quando parentum
peccata punitum ir, ut recordentur, quo-
modo olim in juventute vixerint, & ita
liberis & nepotibus suis justam pœnam
attraxerint. Quando enim patres comē-
derunt uvam acerbam, dentes filiorum
obstupescunt, Ezech. 18. v. 2. Sed & seriâ
pœnitentia id elui potest, si ores cum Da-
vide: Delicta juventutis meæ, & rebellio-
nem meam, ne memineris, Psal. 25. v. 7. sic
conturbantur viscera Dei, ut miserens mi-
serereatur nostrum, Jer. 31. v. 20.

II. *Amicorum morem*, quorum tem-
pore necessitatis magna raritas est.
Quod in Circumcisione Jesuli recens nati
apparet.

Quando aliâs apud Judæos puerulus
circumcidendus erat, vicini & cognati
convenerunt, ut ex historia Baptistæ pa-
tet, Luc. 1. v. 58. Verùm hic ad circum-
cisionem Christi non memoratur, quem-
quam è civibus Bethlehemiticis compa-
ruisse:

ruisse: ubi tamen sine dubio propinquos & agnatos suos ibi habuerunt, quia e familia Davidis erant; Bethlehém verò civitas David expressè nominatur. Sed quia in inopiâ vivebant, nemo aderat, qui consanguinitatis officia persolveret, sicut & durius tractantur, & in stabulo puerperii tempus exigere coguntur, Luc. 2. v. 7.

Ita adhuc hodiè in mundo comparatum est, ut non abs re Petronius cecinerit:

Dum fortuna manet, vultum servatis amici,

Cum cecidit, turpi vertitis ora fuga. Id expertus est Jobus, hinc conqueritur: Fratres mei præterierunt me, sicut in unda- tio torrentium, Joh. 6. v. 15.

Nec minus Josephus, cujus Præpositus pincernarum oblitus est, succedentibus prosperis, Gen. 40. v. 23.

Sic & Paulus in prima defensione ab amicis solus relictus est, 2. Tim. 4. v. 16.

Hic mundi mos est, humile quod est, superbi fastidiunt, sic & opulenti inopes: Dives commotus, confirmatur ab amicis suis, humilis autem cum ceciderit, expel- letur & à notis, Sir. 13. v. 24.

Hoc dolendum sanè est.

Fidelis amicus aliàs dimidium est animæ, imò eadem anima & medicamentum vitæ & immortalitatis, Sir. 6. v. 15. hinc Salomo: Unguento & variis odoribus delectatur cor: & dulcis est amicus, propter consilia animæ, Prov. 29. v. 9.

Verùm hodiè rara avis in terris, nigro- que simillima cygno, ut non abs re Aristoteles amicis dixerit: O amici, nullus est amicus! Facilis vox est: Totus tuus sum, sed paucioris effectus.

Freuer Freund ein selkham Gast/
Den Melonen gleich zu schâgen/
50. Körner mustu segen/

Oh du einen guten hast.

Rectè ergò facit, qui Deum ante omnia amicum sibi conciliat, hic enim, omnibus nos relinquentibus, solus constans manet, Plal. 27. v. 10. Job. 13. v. 1.

III. Mundi humorem. Hic audimus, pa- rentes Christi Circumcisionem recens nati Jesuli non diu procrastinare: sed octavo die juxtâ legem eam expedire, ne culpâ sua periculum oriatur.

Hodiè sæpè fit, præsertim apud eos, qui sublimioris conditionis sunt, ut infan- tes suos aliquot hebdomades sine bap- tismo relinquunt, ex merâ superbiâ, quia aut compadres non citius convocare, aut convivium non citius instruere possunt, quæ plus respiciuntur, quàm miser infantulus, qui intereâ in peccatis relinquitur, & ne- cessario hoc salutis medio carere cogitur.

Hoc non leve peccatum est. Etli enim nullus certus dies baptismati à Christo & Apostolis definitus est, sicut Circumci- sioni in V. T. quæ præcisè die octavo per- agenda erat, Gen. 17. v. 12. attamen ex hac ordinatione perspicere possumus, quod Sacramenta sua non ex industria differri velit. Hoc & inter alia inde colligi pot- est, quia Circumcisio non sine dolore fie- bat, & tamen præcisè octavo die observan- da erat: quando magis baptismus promo- vendus videtur, ubi nullum periculum aut dolores pertimescendi.

Certè parentes illi, qui liberos suos sine baptismato aliquamdiu relinquunt, hoc iplo satis indicant, quod Sacramentum non magni æstiment, nec adeò necesse

bbbb 2 fir,

fit, quod Chriftus ait: Nifi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteft introire in Regnum cœlorum, Joh. 3. v. 5. Quodfi igitur contingit, ut infantes subito in morbum incidant, aut planè occumbant, gravis hinc ratio parentibus reddenda reftat, & Deus sanguinem illum à manu eorum requirer, Ezech. 3. v. 10.

Sunt filii hæreditas Domini: merces fructus ventris, Pfal. 127. v. 4. æquum igitur eft, ut parentes maturent, quo per baptifmum Chrifto initiantur, quod & ipfe Servator mandat, inquit: Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos, talium eft enim Regnum Dei, Marc. 10. v. 14.

Ratholdus Dux Frifæ, cum Epifcopus Wolramus, eò cum perſuafiffet, ut baptifmum fuſcepturus, alterum jam pedem in baptifmum poſuiſſet: interrogabat ille Epifcopum, quorſum plurima pars majorum fuorum perveniſſet, in cœlumne, an in infernum? Epifcopus reſpondit, fuiſſe infideles gentiles, ideoque ſine dubio in infernum migraffe. Tum retracto pede dixit: Sic cum majori parte ego faciam.

Ejuſmodi illuſorum adhuc hodie in medio Chriftiano orbe plurimi reperiuntur, qui baptifmum carnalibus oculis intuentes autumant, non multum referre utrum baptizeris nec ne? Verùm errant. Eft enim ſtipulatio bonæ conſcientiæ cum Deo, 1. Petr. 3. v. 21. lavacrum regenerationis & renovationis, Tit. 3. verſ. 3. hoc qui ſpernit, conſilium Dei adverſus ſeipſum ſpernit.

De Secundo.

Sequitur Medela, quæ fluit
 I. Ex temporis fluxu. Sic enim in Evangelio: Poſtquam conſummata ſunt dies octo, ut circumcideretur puer. Hic nihil ſtabile & permanens eſt, ſed potius locum habet illud Poetæ:

Tempora labuntur, & nos mutamur in illis.

Tandem appropinquamus morti, ubi conſtituta eſt domus omni viventi, Job. 30. v. 23.

Poſtquam autem in hæc mundi ſeneſcia eò res rediit, ut omnia in deterius vergant, & querela Davidis locum habeat: Defecit ſanctus, Pfal. 12. v. 1. audimus nil niſi prælia, & rumores præliorum, abundat iniquitas & refrignit caritas multorum, Matth. 24. v. 6. 12. Diabolus valdè negotioſus eſt, & non modò Pſeudo-Prophe-tas ablegat magno numero, ut cicades, Apoc. 14. v. 9. ſed & in Politia & œconomia omnia turbat, ut tempus illud adefſe conſtet, de quo Johannes: Væ habitatoribus terræ & maris; quia descendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens, quòd modicum tempus habet, Apoc. 12. v. 12. Magna ſanè conſolatio fidelibus redundat, quod hæc miſeria non in æternum duret, ſed dicetur aliquando: Dies conſummata ſunt, non enim in æternum Deus afflictionem dabit juſto, Pfal. 55. v. 23.

Hoc reminſcantur pii, ſi fortè rebus adverſis conſiſtentur, poſt nubila Phœbus. Lux orta eſt juſto, & reſtis corde lætitia, Pfal. 97. v. 11. In vitâ æterna tempus nunquam conſummabitur, ubi non occidet

det ultrâ Sol, & Luna non minuetur: quia erit nobis Dominus in fempiternam lucem, & complebuntur dies lactus noftri, Efa. 60. v. 20. Apoc. 21. v. 23.

II. Ex nomine Jefu, quo recens natus puerulus in Circumcifione inſignitus fuit, eſt illud nomen JESUS, nomen ſuper omne nomen, in quo omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, Phil. 2. v. 10. Non enim eſt in alio aliquo falus, nec aliud nomen ſub cœlo datum eſt hominibus in quo oporteat eos falvos fieri, Act. 4. v. 12. ſicuti ex hâc ipſa cauſa hoc nomen accepit, ut tanquam Jefus noſter populum ſuum falvum faciat, à peccatis eorum, Matth. 1. v. 11.

Hoc fecit quoque dum per ſanguinem & mortem ſuam æternam redemptionem reperit, Hebr. 9. v. 12. quâ & adhuc hodie eſt Salvator omnium hominum, maximè verò fidelium, 1. Tim. 4. v. 10.

Hinc maxima conſolatio oritur.

Vocatur Salvator tuus Jefus, quia te falvum fecit à peccatis tuis: liberavit te quoque ab ira Dei contra peccata. Ubi enim peccata aboleta ſunt, Deus nullam cauſam amplius irâſcendi habet, ſed potius juſtificati fide, pacem habemus ad Deum per Dominum noſtrum Jefum Chriſtum, Rom. 5. v. 1.

Quia vocatur Jefus, immunis quoque eſt ab accuſatione & maledictione legis, virtus enim peccati lex eſt, 1. Cor. 15. v. 57. Chriſtus verò eſt finis legis, ad juſtitiam omni credenti, Rom. 10. v. 4.

Quia Jefus, à morte quoque te redemit. Stipendium enim peccati mors, Rom. 6. v. 23. ubi verò peccatum expiatum, ibi & mors ceſſat: qui in Chriſtum

credit, nunquam morietur, Johan. 11. v. 26.

Si Jefus, futurum quoque judicium non pertimeſcendum nobis eſt, Joh. 5. v. 24.

Si Jefus, immunes quoque ſumus à condemnatione æternâ. Nulla enim condemnatio in iis, qui in Chriſto Jefu ſunt, Rom. 8. v. 1.

Noli itaque deſperare, ſed collige te, peccator triftis! cur triftaberis, quia ejuſmodi Salvatore gaudes, cui nomen Jefus? Si peccata perturbant te? donavit ille tibi omnia delicta, delens, quod adverſus te erat, chirographum, Col. 2. v. 15. Inquietat te conſcientia? Hic Jefus emundavit conſcientiam noſtram, ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi, Hebr. 9. v. 14. Ambigis de ſalute? Apage dubitationem, non enim venit, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per eum, Joh. 3. v. 17. Mors appropinquat? Noli exhorreſcere mortem! Hic Jefus eſt, qui eſt verus Deus & vita æterna, 1. Joh. 5. v. 11. Hunc fiducia plenus cum Stephano invoca: Domine Jefu ſuſcipe ſpiritum meum! ſic & tu cœlum patere videbis, & in agone efficaciffimum ſolatum ſenties, Act. 7. v. ult. Rom. 14. v. 7.

III. Ex Circumcifionis fructu. Pro ſeipſo legi ſubjectus non erat, ſed Dominus Sabbathi, Marc. 2. v. ult. At noſtri cauſa circumcidi voluit, ut oſtenderet, ſe in mundum veniſſe, ut legem & omnem juſtitiam impleret, Matth. 3. v. 15. Qui enim circumciditur, debitor eſt, univerſæ legis faciendæ, Gal. 5. v. 3.

Hinc conſolationem hauriamus, quando audimus, Moſen omnes maledictos
bbbb 3 pro

pronunciare, qui non permanent in omnibus sermonibus legis, Deur. 27. v. ult. Christus propter nos legi se subjecit, ut adoptionem filiorum reciperemus, Galat. 4. v. 5.

Proinde non est, quod metuamus, sed possumus in Christo invenire, quod salutis nostrae deest, factus est enim nobis à Patre sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, 1. Cor. 1. v. 30.

Quando in corpore humano periculosa carnis putredo oritur, venæ sectio à Medicis pro optimo remedio habetur.

Totum humani generis corpus per peccata ad eodè corruptum erat, ut à plantâ pedis usque ad verticem nihil integrum quiddam, Esa. 1. v. 6. Propterea Christus magnus ille Sanator, Exod. 15. v. ult. & Magister salvationum, Esa. 63. v. 1. in medium venit, & in assumpta humana naturâ, non modò tempore passionis suæ, sed statim octavo Nativitatis die in Circumcisione sanguinem suum profudit, quò hoc ipso toti humani generis corpori sanitas restitueretur. Agnosce hinc magnam caritatem Redemptoris tui, nec despera in peccatis tuis. Unica guttula sanguinis Christi sufficit pro redemptione totius mundi, etiam si mille essent mundi, ait devotus Bernhardus.

Si quis lapsu graviore læsus, quicquam in corpore ditupit, sanguis caprinus ei propinatur, quo cruor concretus, qui cor circumdedit, vicissim dissolvatur, & ita homo restituitur.

Quando & tu, mi Christiane! lapsum graviorem, ex innatâ infirmitate vel Diaboli fraude circumventus commisisti, unde conscientia tua torquetur, ut cum Da-

vide suspires: Non est sanitas in carne mea, à facie iræ tuæ, Psal. 38. v. 4.

Ad cœlestem Medicum tuum Jesum te confer, ut potet te guttis suis sanguineis in sacrâ cœnâ, nec dubita, quin sanitatem consecuturus, & omni mœrore liberandus sis, Sanguis enim Jesu Christi, Filii Dei, emundat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1. v. 7.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

1. *Circumcisionem imitare.* Etsi enim externa Circumcisio in N. T. desit: tamen nos Christiani interiori circumcisioni adstricti sumus. Non qui in manifesto Judæus est: neque quæ in manifesto in carne, circumcisio est: sed qui in abscondito Judæus est; & circumcisio cordis, in Spiritu, non literâ, Rom. 2. v. 28. 29. Confer Jer. 4. v. 4. Matth. 18. v. 8. 9.

Quod si igitur novus annus felix & faustus nobis esse debeat, spiritualem hanc Circumcisionem nobis commendatam habeamus, juxtâ

1. *Temporis notationem.* Jesus recens natus, circumcisus est octavo die juxtâ legem. Sic neq; nos spiritualem circumcisionem differamus, sed à puero malitiam præcidamus, ne se insinuet & decipiat animâ, Sap. 4. v. 12. Memento Creatoris tui, in diebus juventutis tuæ, Eccl. 12. v. 1. Maledictus, qui florem juventutis Diabolo, feces autem senectutis Deo consecrat. Ne erretis, non irridetur Deus, Gal. 6. v. 7.

2. *Modum & rationem.* Jesus noster circumcisus est cultro ferreo vel lapideo, Jos. 5. v. 3.

Nos

Nos ejusmodi cultro non opus habemus: sed cultrum Spiritus adhibeamus, qui est sermo Dei vivus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti &c. Hebr. 4. v. 12. Hoc circumcide membra tua, ut ita destruat corpus peccati, Rom. 6. v. 6. ut ita novus homo resurgat, qui in justitiâ & sanctitate Deo serviat, 2. Cor. 5. v. 17.

Circumcide *linguam* tuam à convitiis: non enim hanc tibi Deus dedit, ut mordeas, sed ut ipsi gratias agas, & proximo infervias. Maledici enim Regnum Dei non hereditabunt, 1. Cor. 6. v. 10.

Circumcide *aures* tuas, ut audiant verbum Dei, quod est verbum vitæ, Johan. 6. v. 68. & clamorem pauperum, Rom. 12. v. 13. Prov. 21. v. 13.

Circumcide *oculos* tuos, ne videant vanitatem, 2. Petr. 2. v. 14. Psal. 119. v. 37. sed mirabilia in lege Dei, Psal. 119. v. 18. & cælum, Psal. 121. v. 1.

Circumcide *manus*, ne circumveniant in negotio fratrem, 1. Theff. 4. v. 6. sed laborent, operando quod bonum est, ut habeas, unde tribuas necessitatem patienti, Eph. 4. v. 28. 1. Joh. 3. v. 17.

Circumcide *pèdes*, ne abeant in curvas peccatorum vias, Psal. 125. v. 5. sed dirige eos in viam pacis, Luc. 1. v. 79. ut dignè converteris Evangelio, Phil. 1. v. 27. ut filios lucis decet, Luc. 16. v. 8.

Circumcide *cor tuum* ab hypocrisis, Sir. 2. v. 14. Deut. 15. v. 9. Cor enim ejusmodi derestatur Deus, Prov. 6. v. 18. Ora verò Deum, ut creet in te cor mundum, & Spiritum rectum innovet in visceribus tuis, Pl. 51. v. 12. juxtà promissionem, Ez 36. 27.

3. *Salutarem operationem.* In V. T. pueri per Sacramentum Circumcisionis in fœ-

cus Dei recipiebantur: Hæc virtute quoque pollet spiritualis circumcisio; si impieegerit pœnitentiam, vitâ vivet, & non morietur, Ezech. 18. v. 21.

Quod si ita spirituales Circumcisionem commendatam tibi habebis, cum novo anno, novam quoque benedictionem à Deo expectabis. Sin minus, facilè in novacula conducta te radere potest Deus, Esa. 7. v. 20. & gladium dentò tibi immittere, ut correptiones septuplùm veniant, propter peccata tua, Levit. 26. v. 18. Est enim justus iudex, & Deus minitans per singulos dies, Psal. 7. v. 12.

II. *Nominis tui recordare.* Judæi in more habuerunt, ut puerulis in Circumcisione nomina imposuerint, sicut & Jesu Servatori contigit, & Baptistæ, Luc. 1. v. 64. Quia igitur baptismus in locum Circumcisionis successit, Col. 2. v. 12. adhuc hodiè infantes nostros in baptismo nominibus suis insignire consuevimus. Quod ipsum non insigni sua utilitate caret. Sunt enim nomina, quæ in baptismo imponuntur, monitoria

1. *Nostre renovationis*, quæ in baptismo fit, Tit. 3. v. 5. Quia enim ibi nova creatura fimus, 2. Cor. 5. v. 17. æquum est, ut & novis nominibus appellemur: Sicut Deus ipse Abrahami nomen immutabât, cum ei legem Circumcisionis ferret, ut non amplius Abram, sed Abraham vocaretur, Gen. 17. v. 10. seqq.

2. *Debita obligationis.* Sicut enim miles, quando Sacramento se adstringit, nomen suum profitetur, & hoc ipso obligat se, quod vitam pro vexillo profundere velit: Ita in baptismo nos Christo nomen damus, renunciantes Diabolo & omni-

omnibus ejus operibus. Hoc proinde servandum est, ne Diabolo aut mundo in peccatis serviamus: sed Christo in justitia & sanctitate coram ipso, Luc. 1. v. 74. Nemo enim duobus Dominis servire potest, Matth. 6. v. 24. 2. Cor. 6. v. 14.

3. *Necessaria consolationis.* Quando enim tribulationibus immersis non aliter videtur, ac si Deus nostrum oblitus, faciem à nobis absconderit, ut querendum: Dominus dereliquit me, Dominus oblitus est mei, Esa. 49. v. 14. nomina nostra recordemur, quibus in baptismo in cælo adscripti, Luc. 10. v. 20. & in librum vitæ consignati sumus, Apoc. 22. v. 19. Phil. 4. v. 3.

Ah mi Christiane! non Deus oblitus tui est, vocavit te nomine tuo, Esa. 43. v. 1. scit opera tua, & ubi habitas, Apoc. 2. v. 13. scripsit te in libro monumenti sui, Mal. 3. v. 16. descripsit te in manibus suis, Esa. 49. v. 16. Ergo confide, non te deseret, neque derelinquet, Hebr. 13. v. 15. sed eripiet & glorificabit te, & ostendet tibi salutare suum, Psal. 91. v. ult.

III. *Benè omnibus precare.* Id potissimum fiat in principio hujus novi anni, nec enim sine felici effectu erit, Deo largituro successum. Desiderium justorum profectò bonum est, Prov. 11. v. 23.

De Judæis scribunt, si illi novum annum auspiciuntur, Rabbinum eorum ex suggestu cornu sonitum edere, qui si obscurus, prælagiunt sibi infelicem: sin clarus & sonorus, felicem sibi annum pollicentur.

Nos Judæi non sumus, sed gratia Dei

baptizati Christiani: Quia tamen impræsentiarum primâ vice in hoc anno suggestum conscendi, æquum puto, si & vobis novum annum apprecer.

Sicut igitur hic congregati sunt ex omnibus tribus Hierarchiis, Pastores, & Auditores, Magistratus & subditi, Patentes & liberi, mariti & uxores, Seniores & juniores, ita omnibus in genere & singulis in specie apprecor à Deo Trinuno, annum felicissimum & beatissimum. A Deo Patre annum fertilem, à Deo Filio, annum pacificum, à Spiritu sancto gratiosum Jubilæum.

Non dubium est, quin in novo anno variæ calamitates emerfuræ sint in omnibus Hierarchiis, experiemini tribulationes multas & malas, Psal. 71. v. 20. Sed confidite, Vos mei! Deus Trinus non derelinquet vos. Deus Pater vestrum miseretur, & ut fidelis est, neminem patietur tentari suprâ id quod potest, sed faciet cum tentatione evasione, 1. Cor. 13. v. 13. JESUS CHRISTUS non vos orphanos relinquet, Johan. 14. v. 18. Sed vobiscum erit omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi, Matth. 28. v. ult. Deus Spiritus sanctus vos instaurabit, confortabit, roborabit, fundabit, 1. Petr. 5. v. 10. ut militetis bonam militiam, habentes fidem & bonam conscientiam, 1. Tim. 1. v. 19. & tandem reportetis finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum, 1.

Petr. 1. v. 9. Hoc votum meum est, addat Deus incrementum, Amen.